

De coagulatione humorum ejusque effectu in corpore humano ... / [Johann Friedrich Drechsel].

Contributors

Drechsel, Johann Friedrich.
Rivinus, Augustus Quirinus, 1652-1723
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

[Lipsiae] : Typis Zeidlerianis, [1717]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xvv9e48t>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
COAGULATIONE
HUMORUM
EJUSQVE EFFECTU
IN CORPORE HUMANO

PRÆSIDE

*VIRO NOBILISSIMO ATQVE
EXPERIENTISSIMO*

D. AUGUSTO QVIRINO RIVINO
P.P. GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS
MEDICÆ SENIORE, ACADEMIÆ DECEMVIRO,
COLLEGII MAJORIS PRINCIPUM
COLLEGIATO, SOCIETATIS REGIÆ
ANGLICANÆ SOCIO

PRO LICENTIA
DISPUTABIT

M. JOHANNES FRIDERICUS DRECHSEL
LIPSIENSIS.

D. XXVI. Octobris Anno M DCC XVII.

⦿:(_____):(⦿

TYPIS ZEIDLERIANIS.



A. D.

§. I.



Coagulatio vox latina est, a cogo facta, qua omnis ratio qua aliquid in unum colligitur, quod ante separatum fuit, intelligitur, quod Nonnius Marcellus optimus etymologiae latinae interpres ex Varrone annotat. Convenit cum coagmento, quod conjunctionem arctam & comparem notare idem observat ex M. Tullio, praestantissimo pure latine dicendi magistro: Congestionem dicere a re alienum forte omnino non erit, uti neque plane ab usu abhorrebit, si concretionem dixeris, quae tamen vox solenni usu magis ad eam tracta est coagulationis speciem, quae ex interno agente principio ortum habet: Congeries non longe ab ipsa coagulatione diversa est, nisi quod ad sicca saltem applicari a latinis scriptoribus deprehensum sit.

A 2

§. II.

§. II.

Est vero coagulatio collectio diversæ materiæ ante separatæ, in fluido natantis motu intestino actæ, sibi conformis in unam compositam substantiam crassiorem & ad fluxum continuandum minus aptam. Collectionis materiæ major vel minor gradus magis vel minus coagulata facit substantiam, sed non mutat ipsam speciem, modo illa servetur ratio, ut a statu fluiditatis in quo fuit antea fluidum, fiat discessio, & non fiat ad indurationem corporum intensio. Quævis igitur coagulatio supponit materiam huic mutationi idoneam, qua cum alia propter vicinam & cogentem causam coire & coagulari valeat. Quale quidem attributum in quavis fere materia extensa & figura propria donata supponere nihil repugnabit, nisi forte liceat conjicere, tam mole exigua & superficie levia in principio rerum producta & reliquis interspersa esse corpora, quæ nulla sui parte ab aliis incidentibus satis contingi & contineri queant, verum de talibus hic agere, res non postulat. Id saltem tenendum esse reor, certum requiri in corporibus coagmentandis modum, in superficie & extremis partium, quo se cum collidere corpora separata ad se tamen propius adducta, & in plurimis suorum extremorum punctis se contingere possent. Et illam inter se rigoris & flexibilitatis proportionem, quo aliud aliquo modo resistere alii possit, quo non saltem in viciniam venire, & contingi a se invicem, sed & alterius superficies, ab alterius extremis suscipi valeat. Unde cognoscitur mere flexibilia & fluida coagulari non posse, nec plane inter se forma & extremis inconcinna. Quoniam illorum extrema, quibus contactus fit, propter instantiam non consistunt. Horum vero ea forma est, ut sibi vicina nisi in paucioribus punctis non fiant, & alii intercedenti materiæ spacium relinquunt, a qua loco pelluntur & a se ipsis disjiciuntur.

§. III.

Forma igitur coagulationis omnis quærenda est in contactu diversorum corporum fluido ante innatantium in pluribus punctis, quo excluditur materia alia inter duo media, quæ a se depellere coagulata potens sit; & cohæsione, qua diversa ita sunt coalita, ut nisi externa vi aliqua non dilabantur. Ad quæ plenius & distinctius intelligenda necessum foret hic altius repetere & indagare commune omnis coagulationis principium & cuilibet speciei proprium. Verum quod ad prius pertinet, quoniam longius foret, quam instituti mei fert ratio, sufficiet in universo ex omni ambitu puncto, versus omne punctum supponere motum, quo omnium mobilium inter se fit in omni parte contactus & collisio, qua sibi conformia applicari, incuneari & involvi queant, ut aptarum sibi fiat coalitus, difformium vero propulsus & elisio. Proprium autem principium pro diversitate rerum coagulationi aptarum est varium, cujus omnes species enarrare iterum non erit mearum partium.

§. IV.

Hic sermo est de coagulatione humorum in humano corpore, quo intelligo omne fluidum per vasa sua propulsum, cum retinentia, tum excernentia. Præcipue vero purpureum & cruentum laticem, qui communi nomine appellatur sanguis, & pluribus a se diversis, magnitudine, forma, & densitate, constat particulis, ita intermixtis, ut libere per arterias ad partes meare, in glandulis secerni & vel per proprios canales singulæ remeare ad cor, communem scaturiginem, vel singulis partibus apponi, vel excerni extra corpus queant, quibus omnibus naturæ functionibus inimica & adversa est coagulatio, cujus principium, formam & effectus scrutari constitutum est.

§. V.

De sanguinis coagulatione acturo incumbit ejus propriam indolem ex mixti partibus, earumque inter se mixtionis forma distinctius pervestigare. Ubi ad ortum ejus ex variis partibus, vario commixtionis apparatu, regrediendum est. Primam vero sui originem debere sanguinem illis partibus, quæ quacunque via in canales fluida vehentes inferuntur, manifestum est, quoniam quodlibet ortum ex eo esse dicitur, quod ejus est materia. Viæ autem per quas in corpus humanum ejusque canales materia intrare potest, sunt diversæ, regia tamen os est, quo deglutienda assumuntur sicca & humida, & ex omnis generis partibus composita: Neque etiam pulmonum vasa adeo arcte clausa sunt, ut cum aëre inspiratione hausto, minuta adæquata poris corpora aëri ambienti admixta, eos penetrare & sanguini admisceri nequeant. Imo extrema vasorum oscula summam cutim perreptantia ita fabrefacta usus docet, ut per ea irruere cum aëre oberrans varia materia, varieque fluidi massam insicere valeat.

§. VI.

Primum ergo locum jure suo sibi postulat per os ingestio. Ubi neminem me habiturum contrarium confido, si asseruero, cum deglutitis eas simul ingeri partes, quæ sanguini admixtæ, coagulum obtineant, cum omnino certum sit, diversæ naturæ corpora non saltem deglutiri, sed & modo diverso indigestionis organis præparari, ut adeo ad sanguinem deferri unius naturæ chylus ex partibus deglutitis secretus & præparatus nequeat, sic namque uno comestionis, vel potus actu ingeritur massa constans ex particulis magis exilibus; alio admittuntur salina rigida corpuscula hujus formæ & magnitudinis; alio iterum diversæ naturæ & contrariæ;

trariæ; alio iterum pinguibus refertus partibus cibus assumitur & potus; alio contrario aqueis & terreis infectus & reliqua, ex quibus manifeste liquet, omnis generis minuta corpora deglutitione demitti in ventriculum, quæ inter se concurrentes & varie motæ mixtæque, magis vel minus coagulationi subjectæ sunt, uti in sequentibus clarius perspicere licebit.

§. VII.

Sicut vero ipsa assumpta ore & in ventriculum per gulam injecta, suis partibus earumque constructione a se diversa sunt, ita etiam diversa est mutatio singulorum, quam patiuntur a diverso digestionis modo & reliquis, quæ patiuntur alimenta ante quam in sangvinem conversa sunt. Masticatione dentibus confringuntur & conteruntur partes duræ non æque plene in uno semper & æqualiter in omnibus, hinc majores vel minores descendunt partes in ventriculum. Saliva concisis dente cibus affluit & dentium compressione subit intima, atque in pastam manducata redigit, cui si hujus vel illius naturæ sunt admixta salina corpuscula, vel parcius, vel copiosius motum intestinum excitant fermentationis specie, hoc in se agunt mutuo partes & pro ratione indolis partium vel debilius vel fortius, unde non solum solutio totius sequitur, sed partium totum componentium propria arrosio & forma, ex quo manifestum est, non unius generis particulas ex ore transferri in ventriculum.

§. VIII.

In ventriculum admissa novam subeunt mutationem ingesta, quando humor ventriculi admiscetur pastæ deglutitæ, quo non diluitur solum denuo, sed sicut in ore manducatione saliva molarium dentium attritione penitus immiscetur, ita ventriculi
conni-

conniventia, qua in arctius spacium comprimitur pasta; fluidum ventriculi altius intrat, motum intestinum excitat, & menstrui more partes discerpit, & intima resolvit, & suo peracto munere per pylori adstrictum osculum in intestini appendentis cavum transmittit. Verum ille ventriculi latex non unius semper in uno, & in diversis, naturæ est, neque conniventis & se constringentis ventriculi æquale robur est. Et vel dilutum magis fluidum, vel minus, majorem motus excitandi vel minorem vim exerit; & debilior ventriculi motus, non æque alte adigit menstruum & minus urget massam pinsam, hinc imperfectior est solutio & attritus partium & diversæ abeunt ad sanguinem partes illi admiscendæ, quæ pro sua indole ad coagulationem disponunt, cum nunquam ita attritæ & plene solutæ in minima, accedant, quæ coagulationi non faciant obnoxium.

§. IX.

Aër atmosphæricus qui inspiratione in pulmones intrat, non est simplex substantia constans ex partibus sibi similibus & uniformibus, sed ex pluribus diversis effluviis commixta, quod docent tot phænomena, quibus aëris mixtionem demonstrant Philosophi, imo sapor, qui non raro in admissio in fauces aëre apprehenditur, & odor diversus frequenter naribus perceptus rem manifeste demonstrant. Aër vero ita mixtus non cavas tantum pulmonum vesiculas replet & distendit, & idem expiratione regreditur, sed in ipsos venarum canales penetrat, & antea quam reseat aliquam sui partem relinquit, quæ cum sanguine in venis hærente confunditur. Ingressus vero aër elasticus varie mixtus non elasticas solum particulas commiscet sanguini, sed omnis generis alias sibi arctius implicitas & osculis venarum adæquatas.

§. X.

Hauftus aër in pulmones intrat & in vafa aëtus eodẽm pervadit & admiscetur fangvini: fed & aër in athmofphæra libere errans, corpusque undique cingens, non minus, quamvis non eadẽm quantitate, fangvinis colluviẽm auget. Corporis integumentorum hæc textura eft, ut quicquid verſus ea aliquanto fortius premitur, per foramina, quibus pertuſa ſunt transmittat, non ea ſaltem, quæ a vi interne agente ad exteriora protruduntur, & vel ſudoris forma in guttas collecta effluunt, fed plura quæ vaporis ſpecie ſine ſenſu exhalant: Verum manifeſta rei experientia imittuntur quoque corpora cum aëre externe cingente hominem, agitata & quocunq; affricta modo, involucra penetrant, & in ipſa canalium cava irruunt, & cum ſangvine confluunt; Cui non nota ſunt morborum contagia, non ex communi tantum aëre concepta, fed illa, quæ ſolo contactu, quando purus ſcabiei ſolas manus, uno mantello, quo infectus malo uſus eſt, abſtergit & brevi morbum contrahit. Et ſanus communi lecto, cum leproſo, vel alio contagioſo malo exoſo, cubat, diram luẽm contrahit & illuvie immundus diſcedit. Ex quibus manifeſtis rationibus clare cognoscitur, non ſaltem exſpirare corpus continuo motu partes varias, fed & per aperta foramina ex aëre concipere.

§. XI.

Eviãtis igitur & datis talibus, tam varia, tam diverſa, in corporis humani vafa transmitti & ſangvinis fluẽto immergi conceptu minus eſt difficile, quomodo tam confuſa fluida maſſa coagulationi fiat obnoxia, ita quidem ut niſi cauſſa illud impediens ſuccedat, ſponte ſua, nulla intercedente alia, conſiſtat, atque in grumos abeat, quod ipſa præſtat coagulatione. Ita namque partes, ex quibus commixta tota maſſa eſt, non leves, non exiles,

B

non

non sibi concedentes omnes sunt, sed asperæ superficiei, graves, rigidae, rudes sunt non paucæ, quæ ad se invicem pressæ, aliæ suis angulis aliarum sinus subeunt, & aliæ suis cuspidibus aliarum fissuris incuneatæ, & aliæ planis suis congruarum planis applicitæ, adhærent, & volutantem in fluidis modum retinent & suspendunt. Res clara est, dari in sanguine dissimilia corpora, non modo chymica destillatione, vel evaporatione, unde exiles partes per alembicum tolli, perspicitur, & subsidere fixa salina & dicta terrestria cruda corpora variæ magnitudinis & figuræ, sed sanguis vasis suis emissus & motu privatus sponte sua coagulatur, expressis nimirum exilibus, ab incumbantibus gravioribus molibus, particulis, quo evidenter percipitur, quam ad coagulationem proclivis sit sanguinis mista colluvies.

§. XII.

Posito ergo & hoc, natura sua coagulari sanguinem, & ad motum per gracilia, conicæ formæ vasa, ineptum fieri ulterius cognoscitur, ex quo effectus naturæ oriuntur contrarii & ipsius corporis ariditas. Motus enim sanguinis omnis in partes corporis, per arterias succedit, & ampliori basi in acutos apices in suis finibus tam angustos, ut nihil nisi attritum satis penetret, & per glandulas secretionem peracta, refluit per venas, & canales reliquos ex arcto in largius, æquabili magis flumine. Sed illud in glandulis perficiendum secretionis negotium, fieri nequitquam potest propter structuræ teneritudinem & pororum arctiora foramina. Opus ergo est naturæ novo negotio, quo massa tam indigesta & crassa, motu novo agitetur, & in fluore contineatur, & ad continuationis in motu aptitudinem præparetur, ne coagulatio, ad quam ex sua indole vergit, succedat, & corpus a sanitatis statu longius abeat.

§. XIII.

§. XIII.

Ne igitur coagulatio fanitati & vitæ contraria accidat, ex duplici licet derivare principio, cum interno, sanguinis, tum externo, vasorum nempe continentium structura, & in propellendo fluido proprio munere. Sanguinem esse mixturam ex diversæ formæ, molis & densitatis particulis, nemo est, qui vel in priscorum Medicorum scholis, vel recentiorum negaverit, & oculorum usus & levissima quæque Chymicorum experimenta probant. Porro igitur omni jure esse quantitate alias majores aliis, esse diversa figura præditas, esse alias aliis graviores, esse igneæ levitatis & salini rigoris, aqueæ flexibilitatis & terreæ asperitatis & quicquid comminisci de corpusculorum differentia libeat, ex quibus sponte sua sequitur, majora sua mole incumbere minoribus, hæcque elidi & loco suo pelli, & obstantia urgere; imo elastica non deesse fluidæ massæ ex functione pulmonum & inspirationis necessitate cognoscitur, & sanguinis ex vasis hausti elastica indole clare perspicitur, quæ ex suis centris si versus extrema premant, turbant circumposita, & hinc motum intestinum sequi necessum est, eo enim ipso, quo eliditur & quaquaversum propellitur summæ agilitatis, igneæque naturæ materia, quam spirituum animalium nomine appellare, a re alienum minime est, neque tamen in clausis vasis elabendi via datur, resilire cogitur & spacia, quæ intersunt inter variæ & diversæ figuræ corpuscula, denuo subire & novæ pressioni causam fieri oportet, & perpetui intestini motus principium, & coagulationis certissimum impedimentum; quem tamen intestinum inter partes motum si cui fermentationis nomine compellere visum fuerit, generalius, quam ex usu vulgo chymicorum loqui, tenendum est, quod rationibus evidentibus demonstravit Magnus Bohnius passim in Circulo anatom: Interim certum est, sanguinem quam primum vasis emittitur, & ut partibus exiliori-

bus elabendi facultas detur, coalescere, & in grumos abire, cum e contrario in vasis contentus & rite commixtus, floreat, & cum quovis liquido ad fluorem aptitudine pene certet.

§. XIV.

Neque minor externæ causæ vis inest, motrici in vasis fibræ puta, quam internæ, fluido nempe, ex tam diversis partibus commixto, ut a coagulatione tutam præstet massam sanguineam. Namque ille naturæ in construenda musculosa in vasis fluidorum tunica, ordo est, ut sia basi arteriarum, vel ubi a corde procedunt, initium repetas, atque ad extremos apices procedas, carnea musculosa fibra spirali tractu canalem ambiat, atque si movendo agat, motus succedat a basi versus apicem, non quidem oscillatione totius arteriæ simul facta, per integram ejus continuatam seriem, sed progressionem per puncta sibi succedentia, incipiendo ab illo quidem, quod primum feritur, a materia sanguinis affluente, & cordi, a quo omnis arteria ortum trahit, est proximum. Ita enim, quando ab influente sanguine impulsus patitur tota vasis substantia, ex diversis tunicis contexta fibrisque nerveis quam carneis, nervei premuntur tubuli, & in iis tenuissimus spiritus animalis agitur, illique motus idea imprimitur; qui sic ad agendum dispositus in carneas fibras influit, atque ad propellendum fluidum incitat, quod contrahendo & diametrum vasis imminuendo, perficitur, atque idem tamdiu continuatur, quousque ad extrema arteriarum sanguis propulsus sit, & quoniam ejus per venas ad cor est circularis reditus, propulsio illa est in vivo animali perpetua: Absoluto autem arteriarum curriculo, secretionem in glandulis facta, venas subit sanguis atque per eas ex eadem causâ ab apice ad basin refluit, quoniam sanguis influere in angusta principia incipit, atque eodem modo, quo arterias in basi, fibras vellicat, & ad motum incitat, ut ex partibus ad cor tanquam ad communem fontem referat. Et cer-

te nimis acutum cernere videntur, docti alias homines, qui omnia mechanico apparatu fieri existimant, atque fibrarum funiculos innata quadam vi oscillare, & super quibus vis sanguinis guttulis tanquam trochleis, duci credunt, quæ doctissimi & sagacissimi Baglivi est sententia, magno conatu & ingenii, qua pollet, vi probata. Præter enim id, quod heic nimis figmentis & precariis, de sanguinis particularum figura, suppositis, concedatur, id certe obstat, quod si homo fortius cogitando, & uni subjecto affixus, principium in se agens, ab internarum partium vitali & animali dicto motu, diutius & frequentius retrahat, hæ minus suo fungantur officio, & ipsis partibus, propter deficientem principii actionem, vis inferatur, quod manifesta experientia teste discimus.

§. XV.

Verum quæcunque demum admittatur, tanquam verior sententia, id saltem ab omnibus saniora de motu sanguinis circulari doctis conceditur, pelli sanguinem ex cordis cavo ampliori, in paulatim arctatos arteriarum canales, ex ampliori in angustiis, & antequam circumam per eosdem motus sui, absolvat, diutius cogi, comprimique, quo fieri necessitas postulat, ut partes in se illidant, & varie quidem sibi vicinæ fiant, interque illas, ipsæ, quæ vel planis suis, vel angulis sinibusque sibi respondent, non possint tamen facile mixta se consistere, sibi que adhærere, atque adeo coagulationem pati, quia perpetuo e loco in locum propelluntur, & viciniam priorem mutare coguntur, quando exiliores elixæ parietibus resiliunt, & quævis spacia subeunt, crassiores diffidunt, hæ vero ipsæ, quando in progressu magis magisque ad canalium latera impingunt, a cohæsionis aptis divelluntur, & perpetuo infringuntur.

§. XVI.

Quomodo omnia ex naturæ ordine fiant, hæcenus me demonstrasse satis confido, ex quibus intelligere facile esse putamus, quæ ratione contraria eveniant. Et quidem quod ad sanguinis crassitudinem attinet, illam ita comparatam esse oportebit, ut inter partes subtiliores, spiritus animales, & crassiores coagulari aptas, justa sit proportio, qua agere in spissiora corpora mobiliores, agiles valeant, illaque in motu perpetuo vitali & animali functioni adæquato, conservare; Namque hisce deficientibus motus inter partes intestinus decrescit, & tardius per canales feruntur, & sibi admotæ, conformes & coagulationi aptæ coagulantur & cohærent. Origo vero omnis sanguinis sicut iis deberi cognoscitur, quo externe quacunque via ingeruntur, ita etiam certum est, partes non saltem naturali motui conformes transire, vel cum chylo, vel per alias vias, ad sanguinem, sed quascunque alias, vel salinas cujuscunque generis, vel terrestres, vel villosas, imo omnis formæ, quæ vel lacteorum oscula subire, vel vasorum pulmonalium poros penetrare, vel in cutaneorum canalium cavitates irrumpere queunt; quarum si major pars ita conformata est, ut motum non saltem ipsæ non excitent, eundemque continent, sed & nisi fortius pulsæ, loco non cedant, imo ipsas minores agiles elidant & intra sua spacia non admittant, coagulationem sequi necesse est, & in angustiis canalium stagnationem, si aliæ causæ id non impediunt. Et talem quidem esse commixtionem partium in sanguine & re ipsa, ex dictis de partibus sanguinem constituentibus, & ex ejus origine pernoscitur, & experientia probatur, qua non modo sanguis extra corpus statim coit, sed & intra corpus, motu destitutus, dum extra vasa diffluit, & in grumos coalescit, & in quocunque statu nullam patitur fere aliorum admixtionem, nisi promte coagulum recipiat.

§. XVII.

§. XVII.

Solidarum partium in canalibus fluida vehentibus, ea est functio, ut non contineant saltem humores, & ad partes transmittant, sed & ut agendo & diametros vasorum constringendo, urgeant, comprimant, & partes cum in se ipsas fortius ferantur, tum in proprios parietes, quo atterantur rudiores partes & ad coagulationem proclives a se divellantur. Posito itaque, solidorum fibras, vel singulas esse obnitenti massæ sua potentia impares, vel textu inter se laxiores, ut in renisu & propulsu concedant moli, in agendo est remissio, imo si robore quidem non deficient, tela fibrarum tamen ita confuse & sine ordine texta est, ut ad oscillandum prompte non sit idonea, motus tardior & atterendæ viscidæ materiæ impar est; Et quoniam non a solo partium mechanismo omnia pendere, antedemonstravimus, ulterius sequitur, inordinatos fibrarum motus per fluida ad se delatos, non justa promptitudine ad principium agens in viva machina deferre, atque idem ad operandum in carneis fibris excitare. Sic enim actio & passio inter activum principium & corporis quascunque partes est mutua, & ad agendum non incitatur illud, nisi a partibus motus recipiat, quibus admodum in agendo per receptam ideam motus disponatur: proprium vero organum, per quod deferuntur motus ad principium, nervos supponimus. Duplici igitur modo impedimentum hic oritur, si nimirum partes ita constructæ sunt, ut in nervis motus excitari prompte, & satis ad sensum nequeant, sive id ex propria nervearum fibrarum irretito contextu, sive ab membranarum obducentium indole fiat; & si animales spiritus vel deficient, vel non satis perfecti & ad motum recipiendum & continuandum idonei sint. Hinc si non omnis sensus a motu fluidorum per vasa, tollitur, justo tamen est imbecillior & actio principii vel tardior, vel ex naturæ usu remissior. Ex quibus omnibus non sequi non potest, va-
sa

sa interdum nec arcte fatis & fortiter constringi, & partes in sanguine & reliquis fluidis coagulari per commissionem angulorum in sinus, & applicationem laterum sibi conformium, atque hæere in canalium angustiis.

§. XVIII.

Tandem si non proprie caussa dici debet, occasionem certe coagulationi præbent duo sibi equidem contraria, vasorum nimia repletio, plethoram artis periti dicunt, & nimia eorum exinanitio, vel depletio, illud gignere coagulationem hac ratione potest, quod quando vasa abundant sanguine, intra parietes vasorum partes comprimantur arctius, nec spacium datur hinc inde meandi & pervadendi reliquas, subtiliori materiæ, adeoque nec potest proxime sibi collocata graviora corpora divellere, atque eorum coagulationem cohæsiõnemque impedire, nec volvi inter se possunt crassiusculæ rigidæ partes, atque se de loco turbare, & ad mutandam viciniam cogere; Nec vasorum firma latera possunt validius impingere, quoniam eo non possunt concedere, ut connivendo vibratione in fluida, illa durius verberent, verum renitendo fortius, motum quidem in progrediendo longius continuant, sed volvi corpora circa centra sua & alia in diversa illidere nequeant, quæ cuncta coagulationi ex causis ante prolatis opportunam occasionem præbent. Defectu humoris subsidentibus vasis, illud fluido accidit, ut motu non solum incedat segnius, atque inde coagulandi occasionem nanciscatur, sed etiam motus tollatur volutatorius, quia eo non possunt oscillantes tunicarum fibræ connivere & cavum constringere, quo contingant plene & in omnibus partibus fluidum contentum, solidorum latera partesque diverberent, ex quo partes juxta se collocatæ, & quiescentes coagulum concipere in proclivi est.

Mul-

Multæ præter has aliæ causæ coagulationis sanguinis in corpore animato adduci poterunt in medium, ut contusiones partium & vasorum compressiones, & quæ inde oriri possunt, animi affectus vehementiores & subitanei, qui in sanguine motum ad tempus suspendunt, & alia, sed eo digredi animus non est, quia hæc remotiora sunt, neque ad temperiem fluidi, neque ad continentis structuram pertinent, quæ propiora & intra corpus remperficiunt.

§. XIX.

Dato principio & forma coagulationis, evolvere subjectum proprium & sedem ratio ordinis jubet. Vasa sunt arteriæ, per quas sanguis ex corde ad partes singulas, per innumeras divaricationes cum pulsu truditur, harum finibus hinc inde appendent glandulæ, in quibus fit secretio partium, quæ in arterioso sanguine fluitant, harum portio præcipua, & magis post secretionem mixta, per venas refluit, & cordi iterum infunditur; pars autem non contemnenda limpida quidem illa, lymphæ nomine, per proprios ductus, qui lymphatici dicuntur, & glandulis in alia parte annexi sunt, in cisternam lumbarem commune chyli & lymphæ receptaculum, derivatur. Præter hæc vasa sunt chylifera, lactea a fluidi candore dicta, quæ breviori proprio spacio, secretum a massa in ventriculo pista nutritium humorem per mesenterium ad cisternam lumbarem, & inde lymphæ dilutum per ductum Thoracicum cum sanguine in vena subclavia confundunt. Et juxta hos magis communes sunt canales, vel per omnes, vel per certas partes ducti, alii sunt magis privatis usibus dicati, qui portionem sanguinis arteriosi vel pro aliquo usu proprio vehunt, quales sunt omnes illi, qui partem sanguinis ad humectandas & nutriendas partes solidas derivant, ut ad ossium cartilaginosa interstitia, vel diluendos alios

humores & commiscendos, ut biliales & pancreaticus ductus, vel tanquam abundantem & minus salutarem extra corpus avehunt, tales sunt ureteres & sudoriferi meatus, vel utrumque simul præstant, ex hisque sunt salivales, lacrymales, qui cerumen in aures effundunt, & semen in sua receptacula ad ejectionem, vel conceptionem transferunt. Glandulæ spongiosa & poris variis pertusa corpora sanguinem arteriosum suscipiunt, perque diversos ductus venosos & lymphaticos distribuendo coli officio defunguntur quasi, proque horum pororum indole diversi secerantur humores. Sanguis venosus, minus dilutus, lymphæ aqueæ fluiditatis, genitalis humor lentior & reliqua, in quibus omnibus motum impediri & coagulationem fieri posse credimus.

§. XX.

In omni itaque vasorum, ductuum, tubulorum, pororum, vel quocunque alio nomine veniunt, genere fieri potest coagulatio, sicut generatim demonstravimus, ad effectus igitur quos producit coagulatio, propius nobis accedendum est, qui dividi in eos possunt, qui vel immediate fiunt, vel aliis demum intercedentibus. Primus omnium effectus est impeditus fluidorum per poros vasaque continentia motus. Sic enim duo requiruntur ad continuationem motus fluidorum, quorum primum situm est in ratione mixtionis profluentis massæ, quam ita temperatam esse oportet, ut tunicæ carneæ a suo principio versus finem fibratione æquabiliter protrudere fluidum possint, ita ut inter vim urgentem in solidis & molem renitentem in massa sit proportio, qua sublata & mole graviore facta, quam ut principio movente loco pelli promte possit, motus aliqua oritur suspensio. Jam vero coagulata fluidi massa majorem impellentem vim requirit propter parti-

particularum cohæſionem & in parietes ſolidorum alliſum, quam in ſtatu majoris fluiditatis, quo inter rigidas ſtratæ ſunt plures flexiles, quæ ne vicinæ illæ fiant, & conſiſtant cavent, atque adeo propulſum faciliorem reddunt. Sicut vero fluida maſſa coagulata ad motum recipiendum magis diluta eſt ineptior, ita etiam cauſa eſt, ne canalium ſolida motrix fibra, vim ſuam in movendo ut poterat & debebat exerceat. Fibra motrix in vaſe præcipuum eſt motus fluidi per canales principium, hæcque ita eſt conſtructa, ut quidem perpetuo nitatur ſe conſtringere, atque vaſorum cavum anguſtius reddere, multum vero juvatur ejus actio, quando a cauſa externa ad agendum impellitur, quæ ſi deficiat, motus in fluidis magis tardeſcit, & aliquantisper ſuſpeditur: Unde porro vaſis oritur obſtructio, qua ultra modum tenſis, a ſuccedente materia, fibris, urgentur iterum fibræ nerveæ & motus imprimitur ſentienti principio, quo illud in carneas agendo influat, eaſque ad agendum diſponat ad propellendam ſegnem maſſam, ex quo arctior vaſorum fit conſtrictio, & major vaſorum obſtructio.

§. XXI.

Obſtipato hoc modo ſanguine, & obſtructione vaſisque inprimis arteriæ, tenſione & conſtructione facta, partis ſequitur inflammatio, hoc modo, quo coagulata ſanguinis maſſa ex ampliori baſi verſus anguſtiorē apicem urgetur, nec propter tenacem partium cohæſionem libere tranſire poteſt ipſæ rudiores & informes aſperæ ſalino terreſtres particulæ nerveas vellicando fibras ad movendum principium ſentiens incitant, quo fibrarum carnearum fit adſtrictio, & maſſa in arctius comprimitur & majus fit obſtaculum, quod removere principium agens conando, vim omnem adhibet, & tenduntur tandem ſupra menſuram fibræ carnear, unde dolor auctus & pulſus concitator cum rubore partis

conjunctus. Et quanquam non negamus, inflammationem fieri posse, ubi non præcedat sanguinis coagulatio, quando nimirum vel copiosius & fortius irruit in vasa, eaque ultra mensuram expandit; vel ita mixtus est, ut plura contineat intra se aculeata, & fibras arrodentia corpuscula, quibus vellicentur nerveæ in interiori tunica fibræ, quo ad modum similem producendum incitentur, ex quo idem effectus sequitur. Negari tamen nequit frequentius coagulationem præcedere, quando inflammatio sequitur. Cum inflammatione sæpe conjunctus est spasmus, unde & veteres inter spasmi causas eam referunt, cujus hæc ratio esse poterit, quod quando fibræ carneæ ad agendum fortius intenduntur, moles vero resistens vi agente major est, agendo non cessat fibra, perpetuo a principio agente incitata, neque tamen agendum perficiat, tandem intendendo fatiscat, & iterum conando pergat, unde momentaneo motu sibi succedentia, continuatus in agendo conatus, & subitanea remissio, unde motus ad sensum tremulus & subsultans, aut certe maxime inordinatus, qui a trahendo *σπασμὸς* a Græcis appellatus est. Febrim quoque comitem habet inflammatio, quoniam fluxus sanguinis in aliqua parte impeditus, in toto aliqualem restagnationem sanguinis infert, quæ distendendo fibras motum producit tremulum & quassantem corpus, usque dum fortius insistendo perumpat, & cum æstu fluat, & tandem æquilibrium redeat, & paroxysmus remittat, qui collecta iterum materia, & opplente vasorum angustias per vices redit. Pro diversitate partium inflammatarum & humorum inflammationem gignentium solet illa distingvi in Erysipelatodes, Oedematodes, & Scirrholes, ex quibus tamen Erysipelatodes ad coagulationem sanguinis in arteriarum extremis referri debere credimus, & vix pertinere posterioris tumoris species ad inflammationem proprie dictam.

§. XXII.

Medelam malo adferre conanti, id incumbere res ipsa indicat: Communibus nempe auxiliis, revulsionis, derivationis & interceptionis sanguinis ægro succurrendum, si res postulat, quo tamen non tam malum tolli videtur, quam levamen aliquod accipere, inde adhibenda interna esse, post venæ sectionem & reliqua, atque sanguinem ad coagulationem proclivem esse præcipitandum salinis dictis medicaminibus, & præcipue illis, quæ ex animalium duris partibus desumpta sunt, qualia lucii piscis mandibulæ, Unicornu marinum, Ebur, Dens Hippopotami, antimoni diaphoretici quoque non inter postrema usus esse poterit. Ab evacuantibus abstinendum morbi tempore puto, si malum sit in externis minori periculo obnoxiiis partibus, ne materia ad viscus nobile interdum regurgitet, extra paroxysmum eorum usus est. Externa adhibenda, non tam repellentia, quam dicta resolventia, quæ cutis poros referant & peccanti materiæ exitum parent. Agitatio corporis moderata heic quoque suam præstabit opem, si mali gravitas id patiatur, inprimis tamen ubi per vices recurrere malum observatur, extra tempus paroxysmi frequens corporis exercitatio in usum veniet, & diætæ non infima pars erit, cibi potusque loco ea maxime esse debent, quæ non tam sanguinem augeant, quam diluant, hinc tenuis potus, & cibus parcus, & extra paroxysmum motum sanguinis accelerans, blandis aromaticis temperatus, qui tamen minus conducet, quando dolor & mala inde speranda, ut ruptura vasorum urget, quæ ulcera gignant & abscessus remotiores coagulationis effectus, sicut etiam hæmorrhagiæ vix sæpius cum coagulatione sanguinis in arteriis conjunctæ sunt. Aeris externi ille modus sit, nec frigidus nec humidus, & impuritatibus infectus admittatur, rarior vero conducet & temperate calidus.

C 3

§. XXIII.

§. XXIII.

Magis vero propria sedes coagulati sanguinis videtur in glandulis esse, quarum maxime turbare officium potest; Variæ sunt doctorum hominum de glandularum structura sententiæ, quas nostrum non est dirimere, probabilior saltem nobis videtur opinio, qua traditur, glandulas in glomos convoluta arteriarum extrema esse, quorum pars maxima in suis finibus in diversos abeant canales, quorum unus sanguinem transmittat purpureum, & versus cor revehat ex parte, qui venæ nomen obtinet, alter est lymphaticus, qui limpidam sanguinis partem versus cisternam lumbarem, commune lymphæ chylique receptaculum, referat, in cerebri vero exteriori substantia glandulæ subtilissimum nervorum fluidum transmittunt in interioris medullaris substantiæ tubulos in nervos inde colligendos, cruorem autem venosum in sinus per proprios ductus emittunt, & forte lympham per lymphaticos canales, & sic in aliis secretoriis; excretoriæ glandulæ ex arteriarum extremis eodem modo convolutæ excernendæ materiæ suscipiendæ conformes ex se singulæ emittunt canales, qui id quod abundat, vel quod usui partium adversum est, educant. Hoc vero singulis glandularum speciebus proprio mechanismo, fit partium arteriosi sanguinis secretio.

§. XXIV.

Sunt igitur glandulæ secretoria organa, ad quæ in diversis corporis totius partibus arteriosus sanguis profluit, atque per varios flexus gyrosque actus in angulosos parietes illidit, ut partes a vicinis divelli, & singulæ per adæquatas suæ figuræ meatus urgeri queant: Cumque angusti sint non solum, sed & contorti & flexi admodum meatuum per glandulas progressus, quam facile in motu impedimentum patiantur, haud difficile dijudicatu est. Verum ut distinctius liceat rem dignoscere, omnem glandularum functionem

nem tribus diversis operationibus absolvi tenendum est, prima est secretio partium, inter se arctissime mixtarum, a se invicem, & per proprios singularum meatus emissionem, secunda secretarum partium ad alias sibi conformes est appositio, quæ nutritio dicitur & tertia partium secretarum, vel in certa receptacula infusio, vel ex corpore ejectio; singulæ hæ operationum species suas obtinent proprias glandulas, quæ singulæ male afficiuntur, diverso modo, quando sanguinis arteriosi massa justo cohæret tenacior coagulataque est.

§. XXV.

Secretio reliquarum fundamentum est, & hac turbata, reliquæ functiones non possunt nullum pati impedimentum. Eam fieri hoc modo licet conjicere, ex structura mechanica, quam ante formavimus esse nimirum arteriarum propagines, unde ipsis motum oscillantem competere, qualis in arteriis agnoscitur, in aprico est; hinc quando sanguinem ex arteriis recipiunt, motum propellentem fluidum continuant, qualis a corde fieri incipit; Sed quoniam ipsi progrediendum est per tot anfractus, quo toties in parietes illidit, quoties ex uno puncto procedit quasi in aliud, detineri eum necessum est; cui accedit, quod coniventes & remittentes fibræ rariores sint, ea propellendi, qua in arteriis gaudent, facultate destituti, cavitasque sit angustior, sequitur, quod sanguis crassior hæreat proclivius, unde sanguinem, si prompte per glandulas transmitti, in iisdemque secerni partes debeant, ita in arteriis præparatum esse decet, ne lentore suo ex coagulatione, in iis consistat earumque cavitatem omnem opleteat, quo factò oscillatio fieri perfecte nequit & singulæ fluidi partes ad suorum canalium oscula urgeri, inque conformia sibi propelli. Si vero inde accidat, ut vel omne in glandulis hæreat

&

& consistat, vel fluidior saltem portio exprimatur, relicto crasso sedimento, oriuntur glandularum scirrhi, qui nihil aliud sunt, quam consistens & coagulata in glandulis massa sanguinis, quæ earum substantiam ita replet, ut subsequens fluidum in eas influere nequeat, sed in alias vias regurgitet. Hinc observare licet, illa viscera, quæ ex glandulis fere sunt composita & secretioni fluidorum quam maxime dicata, scirrhis imprimis esse obnoxia, quale jecur est, bilis secernendæ officina propria, quod scirrhis per totam substantiam induratum quasi reperiri, frequens docet observatio.

§. XXVI.

Aliud vero malum ex secretionem non rite peracta hoc modo accidit, quando coagulata aliquatenus massa fortius in glandulas urgetur, quam ut detur secretioni spatium, ultra tonum panduntur fibræ conniventes, & totum fluidum premitur majori vi ad oscula secretis partibus recipiendis destinata, quæcunque partes in ea irruunt & perlabuntur, unde fieri neutiquam potest, quin partium non absolvatur secretio, & ea ad loca deferantur, quæ sunt minus congrua. Sic quando ad glandulas interioris tunicæ ventriculi defertur arteriosi sanguinis colluvies, & propter coagulationem perfici nequit a reliquis partium secretio, quæ digerendis & solvendis compositis adæquatæ sunt, sed vel nimis dilutæ sunt, vel nimis commixtæ crassioribus partibus, unde prava fit digestio. In hepate quando pura bilis nequit ex caussis dictis, & in pancreate succus limpidus subsalsus, unde chyli in duodeno non peragitur a fecibus, ut fieri debuit, separatio. In testes quando influit per vasa adferentia non satis attritus arteriosus sanguis in eorum complicata ex arteriis substantia, non secernitur purum genitale liquamen, sed
vel

vel plane fatuum, vel nimis alienis partibus mixtum, unde vel oritur ejus nimia tenacitas, ut excerni tempore suo nequeat, vel sterilitas, propter involutos, vel deficientes genitales spiritus. Ita ad mulierum ovaria, quando inspissatus & coagulatus sanguis transit per destinatas arterias, secretio partium delineationi foetus in vesicula aptarum propter cohaesionem partium fieri nequit, & ovulum fit sterile, vel monstrosa partium conformatio. Glandulae renum secretioni feri, quod per ureteres nomine urinæ emittendum est, dicatae sunt; verum quando emulgentes arterias sanguis coagulatus in externam substantiam fortius impellitur, urinæ secretio non potest perfici, & sanguinis venosi portio in interioris substantiae tubulos admittitur, unde mictus cruentus oriri potest, & sic in reliquis.

§. XXVII.

Horum omnium cura cui tradita est, illi ad duo animum intendendum esse, rei ratio indicat, ad primam, ubi plena glandularum a coagulato liquamine est obstructio, ut coagulatum resolvat, & vasa a crudioribus & coagulationem inducentibus vacua praestet, quod fieri in antecedentibus allatis debet, salinis infringendo rudiores partes, & absorbendo terreis, agitatione corporis atterendo & protrudendo haerentem materiam, abstinendum vero illo casu putamus ab adstringentibus, quibus cogitur magis jam haerens materia & meatuum magis occluduntur viae, per quas urgeri poterat: In posteriori casu, ubi materia jam coagulari coepta est, nec tamen adhuc tam plane opplet glandularum anfractuofos meatus, sed urget quaquaversum & in minus conformes ductus irrumpit, non diluenda & incidenda solum est materia & expirationi per proprias vias apta est reddenda, sed praeterea intendere fibrarum tonum con-

D

venit,

venit, quo præcludatur via alienæ materiæ, & ut sistatur impetus, quo secretioni detur locus, imprimis hic usus est diaphoreticorum, quorum est illa operatio, ut partes coagulationi proximas divellant, fibrasque excretoriarum glandularum stimulant, quo extra corpus peregrina & coagulationem inducentia corpora ejiciant. Sangvinis missioni in utroque casu non omnino nullus est locus, quoniam lenius fluendo spacium conceditur succurrenti sanguini, quo stagnare incipientem materiam possit abluere, & fibris conniventibus facultas detur, qua possint obstaculum propellere fibrillatione sua, unde post venam incisam stimulantia acria submittere conducet. Quando vero jam factus scirrhus est lenior sanguinis affluxus facilius diluit coagulatum & emollitioni opus est. Abstinentum a spirituosissimis esse putamus, quæ mobilitate sua subtiliores partes sanguinis secum abripiunt, & per vias qualescunque avolant, crassiores autem partes post se relinquunt.

§. XXVIII.

Secretionis negotio deficiente itidem minus feliciter nutritionis succedit opus. Duo illa, glandularum obstructio & cuiuscunque materiæ per minus destinatos ductus pressio, nutritionis operam turbare hoc modo necessum est, quando nimirum alimentosæ cum sanguine arterioso partes, cum ipso sanguine agantur ad quascunque nutriendas partes corporis, earum secretio a reliquo fluido in glandulis perficitur, transfudando forte per poros tenuiorum rariorisque texture extremorum arteriarum finium in glandulis, pro ratione partium, ad quas excurrunt, diversorum, quo propriam nutriendæ parti materiam deponere conatu proprio naturæ liceat, quem conatum sufflaminari & irritum omnino esse oportet, quando organum secernens, glandula

la, aliena coagulata materia repletum deprehenditur, ex quo sequitur, partem alimenti indigam, deficere, atque magis usu deteri, quam restitui, adeoque partis atrophiam oriri. Si vero non omnino quidem glandulæ cavitas coagulata materia obstructa est, attamen liquaminis, quod segnius pervadit, parietesque canalium tenuissimorum urget & distendit, non modo non conformes partes in adæquatos ductus distribuuntur, sed eo per-rumpunt, ubi vel minor est renitentia, vel major vis premendi; verum etiam per illa oscula, quæ ex ordine naturæ saltem illa debebant excipere, quæ proxime adjacenti parti accrescere apta erant, peregrina corpuscula prioribus difformia premuntur, unde quidem accedit aliquid subjectæ parti, sed tale, quod usum naturæ congruum minus faciat, imo eundem impediat & informis magis solida moles concrevit, quam ut fiat parti debita nutritio: quomodo gigni plerumque in partibus viscidam alluviam passis per collicias inordinate factas carunculas, verrucas in corpore toto, claves in pedibus, tophos, polypum in naribus, molas in mulierum uteris conjicimus, imo etiam in ossibus non raro ventosæ spinæ causam esse partium non satis in glandulis secretarum, & per vias nutritias emissarum confusam appositionem, nil vetat opinari.

§. XXIX.

Quod ad prius quando glandularum perfecta est obstructio, indicatio cum priori videtur esse eadem; namque similis illa ratio coagulatae & in scirrhum duratae materiæ, qua affluxus sanguinis in glandulam impeditur, ut secretio fieri nequeat, pariter in culpa est, quod nutritiæ partes ad solidas deferri, eisdemque apponi, ad concretionem, nequeant, unde atrophia, de qua dictum est, oritur. Ille vero inordinatus affluxus per ductulorum in

glandulis tenuiores membranas sequitur pravæ secretionis ordinem, & hac remota, ille non potest locum invenire, & iterum ordine dimissis post se atque juxta se, per proprios meatus, partibus, non potest non sequi in concresecendo concinnitas. Omne igitur redit ad secretionis, ne quid præter naturæ methodum fiat, restitutam functionem. Quod si vero jam aliquid naturæ regulis contrarium factum est, & ex confusæ massæ alluvione, moles jam concretæ sunt, id primo curandum esse reor, ut sanguinis affluxus aliquanto contineatur, ne copiæ peccantis & per incongruas vias cedentis materiæ, ipsò renisū membranarum in glandulis major sit, & ne fortius insistendo sibi viam præparet, attenuando viscidam massam, id fieri jam in præcedentibus asserui, & excernendo fluiditati continuandæ inimicas partes, vel cum alvi fecibus, vel sudorem excitando, vel etiam sanguinis quantitatem emittendo, quæ tamen ipsum malum jam perfectum non videntur tollere, sed vel chirurgi manu hoc infectus morbo indiget, ut colligando, secando & urendo, efficaciter operetur, idque vel quod abundat, vel non conveniente loco indecenter excrevit, acie demetat, & aditum, igne consolidando ductus præcludat; vel ubi his locus non est, adstringentium præcipua præmittendis præmissis usus erit. Ita namque constrixtæ fibræ, quæ affluentem materiam continent, & alimento proprio deficientes exarescunt, & sua sponte concidunt.

§. XXX.

Excretionis functio priores naturali ordine sequitur, quæ pari ratione ipsam secretionis imitatur indolem. Dux autem sunt potissimum excretoriarum glandularum species, quarum prior a sanguine secretas partes in propria receptacula intra corpus infundit & vel novæ excretioni asservat, vel usui adhuc peragen-

agendo destinat, posterior classis earum est, quæ immediate per proprias sibi constitutas a natura vias partem fluidi ex corpore educit, & hæc quidem sunt potissimum subcutaneæ, miliares a forma dictæ. Utrarumque officium varie turbare potest coagulatio fluidi: prioris generis sunt insigniores, renes, salivales, genitales. Primo loco de prima classe dispicere conveniet.

§. XXXI.

Quod si ergo sanguis arteriosus ante quam ad glandulas excretorias defertur, lentorem contraxit a coagulo, atque crassior urgetur in secretoria humorum, separari minus possunt a se invicem diversæ, naturæ partes, atque adeo difformes tubulis excretoriis in eosdem urgentur, vel justo plures, eæque quæ functionibus adhuc aliis destinatæ erant, vel illæ detinentur, quæ in alias vias pressæ, vitali machinæ noxam inferunt. Exempli loco nobis excretoria urinæ sint in renibus, ad quæ si sanguis per arterias emulgetur, illeque tenacior, quam ut singularum partium fieri possit discretio, & tamen instat vis premens in arteriis, urgeri necesse est quascunque partes per vias primum obvias, sique adhærent serosæ salinæ particulæ sibi firmiter reliquis, solæ aqueæ excrementitiis salibus & terræ vacuæ, exprimi per tubulos interiorum renum queant, & in pelvim colligi & per ureteres in vesicam derivari, & statim tempore excerni; Reliquæ vero per alias minus commodas vias fluunt, vel in venas, vel in lymphaticos canales, & laudabilibus nutritiis admiscuntur sedimenta illa crassa, quæ natura excretioni destinaverat, & partim hærent trusi in difformes tubulos, partim accrescunt solidis partibus, atque ordinem texturæ pervertunt, motusque naturæ proprios & necessarios impediunt. Si autem e contrario ille situs & forma particularum & obversorum tubulorum osculorum ratio est, ut non

sola sedimenta sanguinis tubulorum renum substantiam subeant, verum cum illis simul partes laudabiles nutritioni & aliis vitalibus functionibus in corpore aptæ, sanguis per venas refluus & in canales lymphaticos, per arterias iterum in partes corporis influus effectus est & quasi fatuus, quoniam salutare cum noxio simul ejectum est. Imo novi mali causa hic secretionis detectus & colluviei influxus in pelvem renum, vel vesicam, non raro esseprehendimus, quando nempe confusa & tam ex diversis commixtæ sordes in pelvem aut vesicam protruduntur, atque subsidunt, copiosiores, asperas, sabulosas particulas, indurari in calculum proclive est. Sicuti vero in renibus deficiens propter coagulationem, secretionis & inde sperandæ excretionis opus, multorum pravorum effectuum manifesta causa est, ita facile judicare licet de reliquis. Sic ad testium glandulas complicatas arteriarum fines quando defertur & justo est per coagulum tenacior, non accidere non potest, quin vel nimis dilutus genitalis humor, propter impeditas vere seminales partes, confluat, vel justo rudior transmittatur, & in utroque deprehendatur esse sterilis, & varia mala ex stagnatione producat, & sic analogia rerum observata judicare licet de reliquis similibus.

§. XXXII.

Proxime excernentes glandulæ dictæ miliares sunt sub cute sparsæ: Harum præcipuum propriumque munus est a sanguine arterioso ad se delato secernere, & extra corpus derivare serosum fluidum urinæ non absimile, utque dicere eas tot minores renes, non omnino sit absolum. Sed posito, ad easdem emanare per arterias sanguinem, qui per coagulationem incedat tardius, vel sua cohæsione urgeat fortius, quid aliud evenire potest, quam ut vel partes laudabiles simul per ductus excretorios

rios perrumpant? vel ad massam reliquam regurgitent? vel in ipsis hæreant? Ex quibus omnibus, quæ mala in corpus vivum redundant manifestum est; atrophiam nempe & corporis ariditas; si abundantior & sine discrimine est transmissio, inordinata nutritio & phlogoses, si refluent peregrinæ & inconcinne partes & inde pronò nexu derivandi effectus. Si stagnatio congelatæ massæ fiat, scirrhi gignuntur & ulcera & inde oriundi morbi.

§. XXXIII.

Procedendum nunc erat pro instituti nostri ratione ad reliqua vasa, in quibus coagulatio potest effectus naturæ contrarios producere, ad venas puta, in quibus cogere fibrosas in sanguine partes immediate & præcipue potest in polypos; ad lymphatica vasa, ubi forte hydropis palmaria causa est; verum neque temporis angustia mihi concedit longius argumentum prosequi, nec vires meæ sinunt, rem pro dignitate sua exsequi. Hinc veniam petere a lectore mihi imponit necessitas, quod hæc omnia rudi potius sciagraphia delineata sint, quam perfecta imagine exhibita, æquiores sperans eo magis sententiam, quod inter conflictus cum adversa valetudine hæc imperfecte meditari saltem licuerit. Et si benignissimo Numini visum fuerit, integram præstare sanitatem, manum iterum admove-re operæ non pigrabimur.



10

LIBRARIUM

1717

1718

1719

1720

1721

1722

1723

1724

1725

1726

1727

1728

1729

1730

1731

1732

1733

1734

1735

1736

1737

1738

1739

1740

1741

1742

1743

1744

1745

1746

1747

1748

1749

1750

LIBRARIUM

1751

1752

1753

1754

1755

1756

1757

1758

1759

1760

1761

1762

1763

1764

1765

1766

1767

1768

1769

1770

1771

1772

1773

1774

1775

1776

1777

1778

1779

1780

1781

1782

1783

1784

1785

1786

1787

1788

1789

1790

1791

1792

1793

1794

1795

1796

1797

1798

1799

1800

